DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
T E T A N O.

6

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TETANO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DIONYSIUS CONSIDEN,

HIBERNUS.

" *Quid tale immanes unquàm gessisse feruntur*
" *Vel* SINIS ISTHMIACA *pinu, vel rupe profundâ*
" SCIRON, *vel* PHALARIS *tauro, vel carcere* SULLA?
" *O mites* DIOMEDIS *equi:* BUSIRIDIS *aræ*
" *Clementes.* —— CLAUD.

VII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

MILITI

FORTI ATQUE STRENUO,

RICCARDO VYSE,

BRITANNICARUM COPIARUM

PRÆFECTO VICARIO;

EQUESTRIUM BRITANNIARUM REGIS SATELLITUM

TURMÆ TERTIÆ

TRIBUNO;

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. DQUE

DIONYSIUS CONSIDEN.

THOMÆ KEATE,

ARMIGERO,

BRITANNIARUM REGINÆ

CHIRURGO;

BRITANNICARUM COPIARUM

CHIRURGORUM

PRÆFECTO;

HOC

OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

PALAM

OFFERT

DIONYSIUS CONSIDEN.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TETANO.

PROOEMIUM.

§ I. SPASTICI morbi, qui communi nomine *TETANI* comprehenduntur, calidarum regionum, ut inter scriptores constat, præsertìm autem utriûsque INDIARUM, communes sunt. Verùm interdum tamen vel in temperatis, ex læsis, irritatisvè nervis, aliisve causis, mortales adoriuntur et auferunt.

II. Sub calidis cœlis, sæpiùs invadunt pluviosis et frigidioribus anni temporibus, quæ incolæ ipsorum linguâ *MONSOONS* appellant. Nulla ætas est, nullus sexus, nullum tempera-

 mentum,

mentum, color nullus, quo his morbis mortales non afficiantur.

III. Spastici generis morborum præcipuæ, et, meâ quidem opinione, solæ, varietates sunt, *TETANUS*, *OPISTHOTONOS*, *TRISMUS*, et *CRAMPUS*. Nullas alias varietates conspicatus, has perindè describere conabor, ut ducenties ferè observavi, dum, in INDIA ORIENTALI, classis BRITANNICÆ nautis chirurgiam faciebam. *EMPROSTHOTONON* nunquàm egomet vidi; sed viderunt GREGORIUS, aliique medici.

IV. Rem propositam persequendo, animum ad eam varietatem attendam, INDIÆ ORIENTALIS incolis propriam, quam *CRAMPUM* nuncupant medici. Inductus sum, ut id facerem, quòd, duobus annis, aliquot millia BRITANNICORUM militum et nautarum ibì merentium absumpsit; et quòd, quantùm scio, GIRDLESTONIUS solus eam scriptis notavit, et is quidem leviter, pro rei magnitudine.

Cap. I.

De Definitione et excitantibus Causis.

v. Tetanus, quo nomine comprehenduntur varietates suprà memoratæ, à Culleno definitur, "*Plurium musculorum rigiditas spastica.*" Sed, ni multùm fallor, aptiùs definiri potest, "*Initio plurium, sed, progressu et sub finem,* "*omnium corporis musculorum contractio spa-*"*stica.*"

vi. Tetanus, qui primus opisthotoni gradus est, plerumquè oritur ex frigore et humore, quibus commissum est corpus, labore vehementeve exercitatione calefactum, vel fatigatione intemperantiâve debilitatum. Auræ itidem

dem siccæ et frigidæ, in hujusmodi corpore, morbum nonnunquàm excitant. Quinetiam, aliquandò mortalibus inducitur hic morbus quiete super humidis navium constratis, udove humo; dum corpora simul exponuntur roribus nocturnis, aurisve ex paludibus, locisve palustribus aut silvosis. Interdum, porrò, insequitur aquam frigidam haustam, et lavationem in aquâ frigidâ; ubì exercitatione, ullâve intemperantiâ corpus calefactum est, vel debilitatum.

VII. Nonnunquàm quoque hic morbus efficitur gravi in apricis labore, post exinanitionem; cujus, enimvero, mirum semel exemplum vidimus. Venus vulgivaga, quæ, unâ nocte, tribus quatuorve deinceps viris constuprata erat, et postero die damnata, ut, in aprico, ad vesperam usquè, jejuna vehementer laboraret, tetano correpta est. Octo dies morbus haud remissus perduravit. Stomachus interim erat adeò irritabilis, et ingestorum impatiens,

patiens, ut medicamenta, pariter ac esculenta et potulenta, revomeret ; atque tam longo jejunio, tantisque doloribus non perire scortum, nobis mirum videbatur. Nono tandem die, pauxillum vini aromatibus incocti stomachus retinuit. Hoc quotidie assumendo, simulque exiguas doses *tincturæ opii*, et ex materia firma diætam, impudica brevi revaluit.

VIII. Tetanus haud rarò oritur ex amputatis membris, exceptis dentibus, atque punctis, laceratis, contusisve nervis. Hic denique morbus, ea præsertìm species, quam *TRISMUM NASCENTIUM* nominant medici, nonnunquàm proficiscitur ex diæta insalubri, nimìsve parca ; dummodò adjuvent alvus astricta, et valetudinis munditiæque incuria. Nunquàm ex his causis morbum ortum ipsi vidimus ; sed, lectis et auditis confisi, quin his oriri possit, nulli dubitamus.

CAP. II.

Cap. II.

De Signis.

IX. Tetanus, ubì ex frigore nascitur, nonnunquàm subitò invadit, aliàs non nisi aliquot post horas, pro vi frigoris, vel modo quo applicatur, aliisve rebus, quas memorare non opus est.

X. Tetanus ex frigore ortus, à levibus plerumquè incipit doloribus, qui eos simulant, quos movet incipiens *rheumatismus*, et à molesto ubique corporis sensu. Ingravescunt paulatìm hi dolores ; et, post aliquot horas, videntur ciere musculos corporis, eos præcipuè abdominis et thoracis, in contractiones spasti-

cas.

cas. Hoc ferè tempore, frigescunt membrorum extremitates. Nauseat stomachus, et assumpta revomit. Vomitioni, nisi idoneis medicamentis remediisque tempestivè sistatur, superveniunt haud intermissa vomendi cupiditas et nisus; quæ obstant, quò minùs assumantur esculenta, potulenta, et medicamenta, atque plerumquè, ad extremum usquè, urgent.

XI. Progrediente morbo, dolor acutus et profundus, qui nobis videtur septo transverso inhærere, quoties æger se movere tentat, aut loqui, ab osse pectoris ad spinam pertendit, eumve ad locum, qui scapulis interjacet.

XII. Hic dolor seriùs ociùs, pro vi, quâ incursat morbus, malè afficit musculos posticos capitis atque cervicis; simulque spasmi musculorum abdominis et thoracis in spasmos congeneres movent musculos inferiorum superiorumque membrorum, itemque eos faciei.

XIII. Ubì

XIII. Ubì morbus eò increvit gravitatis, musculis qui membra flectunt, iisque qui extendunt, rigiditate æquè pollentibus, et in contrarias partes trahentibus, corpus in rectum vehementissimè porrigitur. Quantis nunc doloribus cruciatur æger! Quàm miserabiles eduntur gemitus et ejulatus! Facies quàm distorta et cadaverosa! Cruciamenta, enimvero, majora sunt, quàm ut verbis describi possint, animove concipi. Hæc morbi forma, quamvis non terribilissima, ea tamen nobis videtur, quæ *TETANUS* strictiùs appellari debet.

XIV. Hoc tempore, morbus citissimè increscit. Cùm truncus corporis inalgescit, tum membrorum extremitates, simulque lento ubique sudore madet cutis. Paucis sexagesimis horæ partibus, tantâ se vi contrahunt validi musculi dorsi spinæque omnes, ut, exsuperatis adversantibus antici corporis musculis, caput, nates versus, retrahant; musculis intereà abdominis,

dominis, cæterarumque anticarum partium corporis, rigidis, et, velut tabula, duris.

xv. Cùm eò increverit morbus, et non antè, musculi, qui attollunt maxillam inferiorem, tam immani vi se contrahunt, ut dentium ordines se invicem vehementissimè comprimant; neque diutiùs possit miserandus æger loqui, et dicere quid expetat, quantisque doloribus crucietur.

xvi. Ubì morbus hujusmodi malis ægrum urget, *opisthotonos* strictiùs appellatur; et, quantùm vidimus, nunquàm non lethalis est. Contractio autem musculorum inferioris maxillæ, quæ nunc facit, ut comprimantur dentes, et loquendi impotens fiat opisthotonicus, nostrâ opinione non constituit eam morbi formam, quæ *trismus* strictiùs nuncupatur. Hoc enim nomen ei tantummodò tetani varietati proprium est, quam inducunt amputata membra, aut læsi nervi, et de qua infrà dicemus.

XVII. Morbus, quem persequimur, omni formâ doloribus ægrum perexcruciat; præsertìm autem opisthotoni formâ, sub qua, utì videtur, eum sentiendi haud raro, simulque arbitrio animi se movendi, impotentem reddit.

XVIII. Verùm vis tamen spasmorum non diù unâ vice urget. Sextâ plerumquè horæ parte, intermittit; et, per intercapedines, musculi non solùm trunci corporis, et extremitatum membrorum, sed etiam linguæ, inferiorisque maxillæ, relaxantur; id sanè, quod opinionem modò propositam confirmat.

XIX. Per intermissiones spasmorum, qui, dummodò motus aut loquela non faciat ut repetant, interdum tertiam horæ partem, raro amplius dimidiam, dant intervallum et relaxant, dolores interquiescunt, et æger de vehemente fame et siti conqueritur. Dummodò cibis jejunitatem expleat, crudos pòst paulò revomit. Quò sitim sedet, ab adstantibus expetit

petit frigidam aquam. Sed nequit datam devorare; imò visam oculis refugit, et, sicut timore perculsus, perindè singultientibus musculis convellitur et agitatur, ac si, rabido animali morsus, hydrophobiâ afficeretur.

XX. Progrediente morbo, æger nonnunquàm, at raró, non suæ mentis est. Quod autem mirum est, sensus plerumquè, nisi ubì urget vis spasmorum, integri usquè ad ultimum manent.

XXI. Functiones, *NATURALES* dictæ, ut in gravibus morbis solent, semper haud parùm afficiuntur. Exhalatio cutis neutiquàm naturalis et salutaris est. Sudor enim frigidus et lentus, qui, per accessiones, erumpit, cruciantibus doloribus, et vehementibus musculorum contractionibus movetur, ideoque morbidus et insalubris habendus. "Sudor," inquit SANCTORIUS, "semper est à causa violenta, et, ut "talis, sicut statica experimenta docent, im-

"pedit

" pedit coctorum perspirabilium occultam ex-
" cretionem." Urina plerumquè supprimitur. Alvus semper astricta, nisi ubì urget ea morbi forma, quam nomine *CRAMPI* infrà describemus.

XXII. Tetanum frigore ortum, quem hactenus persecuti sumus, semper comitatur febris. Arteriarum pulsus solito duriores sunt, ac celeriores; et, quo frequentiùs vehementiùsque urgent spasmi, eo earum motus citatiores sunt, eoque magis inæquales. Spiritus quoque citus est, præter solitum, et laboriosus. Remittentibus verò spasmis, arteriæ tardiùs et æqualiùs micant, atque facilior fit spiritus.

XXIII. Per totum tetani cursum, et omni ejus formâ, extremæ membrorum partes, præter naturam, frigent. Facies pallet; et lugubris vultus verbis significantiùs indicat, quantis malis æger opprimatur. Somni, leves et subindè

subindè interpellati, corpus, fame et doloribus confectum, nihil ferè omninò recreant.

XXIV. Descriptis, quàm luculentissimè potuimus, duobus tetani gradibus, ordine quo, post frigus et exinanitionem, adjuvantibus labore et calore, invadunt et urgent; nunc tertium morbi gradum, quem *TRISMUM* nominant medici, describere aggrediemur.

XXV. *Trismus*, ubì nervis punctis, contusis, aliove ullo modo, præter membrorum amputationes, læsis, oritur, initio mitis est, et sensìm increscit ad maximam, et sæpè lethalem, violentiam. Verùm nonnunquàm tamen, ut accepimus, statìm post nervum laceratum, magnâ vi adoritur; fortassè in iis præsertìm, qui corporis constitutione aut valetudine, supra modum, irritabiles sunt.

XXVI. Plerumquè tamen levis incipit *trismus* ab obtuso læsæ partis dolore, et molesto sensu;

sensu ; qui pedetentìm aggravescunt, et seriùs ociùs in spasmos cient ejusdem partis musculos. Hi spasmi continentèr ingravescentes, haud longo pòst tempore, nisi iis faustè subveniatur, similes vicinarum partium musculorum spasmos movent ; et, ad postremum, thoracis, cervicis ; itemque maxillarum inferioris, quæ, per singula spasmorum incrementa, superiori vehementissimè apprimitur.

XXVII. Ubì *trismus* eò pervenit gravitatis, tetanum strictiùs dictum, et opisthotonon, quas jam tetani formas suprà descripsimus, aliquantùm simulat. Verùm musculi tamen, qui in devorando versantur, itemque musculi sincipitis, et validiores dorsi, non tam immani vi contrahuntur, quàm in iis morbi formis, quarum modò mentionem injecimus. Spasmorum autem incrementa, singulis vicibus, longiora sunt : quo fit, ut corpus plùs debilitetur, et morbus ægrum certiùs superet.

XXVIII. Ado-

XXVIII. Adorientem *trismum* rarissimè, si unquàm, comitatur febris. Arteriarum ictus sunt tardi et exigui, nisi per spasmorum incrementa, ubì sunt citatiores solito, simulque inæquales. Pallet semper facies. Lugubris vultus est, et majorem adhuc anxietatem exprimit, majoresque dolores, iis, quibus miseros urgent tetanus strictiùs dictus, et opisthotonos.

XXIX. Cutis simul ad suum munus invalida est. Urina, nisi ubì in balneo sit æger, supprimitur. Alvus pertinacitèr astricta est. Membrorum extremitates, imò universum quidem corpus, inalgescunt, et, per spasmorum accessiones, lento diffluunt sudore ; qui, utì videtur, per spiracula, spasmorum dolorumque vi extruditur.

XXX. Per spasmorum decrementa, vomitiones rariores et leviores sunt, quàm solent in iis tetani varietatibus, quæ frigore oriuntur. Neque, enimvero,

enimvero, quantùm vidi, musculi, quorum ôpe devorantur cibi, adeò afficiuntur, quin æger possit cùm esculenta tum potulenta glutire.

XXXI. Alimentum tamen, quantùm observavimus, nunquàm benè concoquitur. Plerumquè, enimvero, accessione spasmorum redeunte, inconfectum revomitur. Omni profectò tetani tempore, omnibusque varietatibus, stomachus partìm irritabilitate insolitâ, partìm magnâ vi opii quam assumunt ægri, ad sua munera invalidus est.

XXXII. Alimenti coquendi impotentia, vigilia, et spasmorum longinquitas, *trismum*, quippe in quo plerumquè majora sint, quàm in jam dictis tetani varietatibus, his ferè magis lethalem reddunt.

XXXIII. *Trismus*, quem movent amputata membra, rarissimè invadit nisi aliquot post dies, ubì ferè jam revaluerunt incisæ partes.

Tùm

Tùm spasmi plerumquè subitò et vehementer corripiunt musculos thoracis, cervicis, et inferioris maxillæ. Hujusmodi contractionibus, per complures horas, imò haud rarò dies, urgentibus, dentes usque eò comprimuntur, ut æger possit neque cibos, neque potiones, neque medicamenta assumere. Morbus tùm solùm, nostrâ opinione, *TRISMUS* aptè appellatur, cùm huc processerit gravitatis.

XXXIV. Quò, tantâ vi morbi urgente, æger alimenti et medicinæ aliquid assumat, quod eum recreet et levet, haud insolitum est dentium unum alterumve excipere. Plerumquè autem morbi vim mitigare prorsùs nequit medicina. In *trismo*, juxtà ac in jam descriptis tetani varietatibus, sensus res perindè percipiunt, utì sunt, donec absit haud amplius una alterave hora, ut mors ægrum interimat.

XXXV. Cæteris tetani varietatibus descriptis, nunc eam formidolosam, et plerumquè le-

thalem, exponemus, quam ii, INDIAM qui incolunt ORIENTALEM, *crampum* nominant. De hac morbi forma, quæ mortalibus ibi terrarum orbis degentibus propria est, omnes, quòd scimus, auctores, præter GIRDLESTONIUM, siluerunt.

XXXVI. Hic morbus, iis semper anni temporibus, invadit, quibus frigidum et pluviosum cœlum est. Adoritur plerumquè noctu, aut primo mane. Spasmorum ferè incursum antegrediuntur profluvium alvi, tormina et tenesmus. Hæc mala comitantur faciei pallor, vultus luctuosus, prostratæ vires, extremitates frigidæ. Æger simul stomachus est; atque, nisi ei idoneis medicamentis opituletur, brevi perpetuâ et gravissimâ vomitione vexatur.

XXXVII. Paucis sexagesimis horæ partibus, post accessionem spasmorum, qui sanè citissimè ingravescunt, musculi inferiorum membrorum vehementissimis spasmis corripiuntur;

tur; neque multò pòst, itidem musculi abdominis, thoracis, cervicis; itemque faciei musculi, qui profectò, magis horrendum in modum, distorquentur, quàm in prima morbi forma, quam tetanum strictiùs appellavimus.

XXXVIII. Sed hìc observandum est, miseros rarò, donicum eò increverit morbus, vivere: nam plerumquè, primâ aut secundâ horâ, intercipiuntur. Siquandò sextam septimamve horam excedunt superstites, aliqua vitæ conservandæ spes medicum tenet.

XXXIX. Mala, quæ modò memoravimus, parùm, si omninò, remittunt; præsertìm vomitio, quæ adeò urget, ut æger neque potiones neque medicamenta, quibus levetur, possit assumere.

XL. Quo magis ingravescunt spasmi, eo magis extremæ membrorum partes, et totum quidem corpus, inalgescunt. Notæ oris minuuntur.

tur. Oculi in orbitas recedunt. Extremi, cùm manuum tum pedum, digiti livescunt. Spiritus fit celer et laboriosus; atque arteriarum pulsus, qui initio erant tardi et exigui, nunc fiunt celeres et inæquales. Summâ ubique cute oritur frigidus sudor. Singulis temporis minutis, cor et arteriæ imbecilliùs micant; harumque demùm motus, admoto carpo digito, vix percipi possunt.

XLI. Hujusmodi malis millia fortium militum atque nautarum in INDIA ORIENTALI perièrunt. Ex his plurimi, inter vomendum aut dejiciendum, intercepti sunt.

CAP. III.

Cap. III.

De Diagnosi.

XLII. Primo accessu, morbus, quem persequimur, ubì frigore et humore oritur, nonnunquàm, ut suprà memoravimus, incipientem *rheumatismum*, vehementemve musculorum distentionem, simulat. Magnâ, enimvero, similitudine, quæ his interdum morbis intercedit cum tetano, confiteor, me aliquot semel horas deceptum esse. Hoc errore, et, post eum detectum, curandi viam ineundo quam docet Cullenus, medicinam frustrà feci, neque potui ægrum servare.

XLIII. Aliquandò quoque, ut suprà diximus, est, sicut in hydrophobia, tanta devorandi difficultas,

ficultas, ut æger neque cibos, neque potiones, neque medicamenta, glutire possit.

XLIV. Medicus tamen poterit, utrùm tetanus urgeat, an *rheumatismus*, musculorumve distentio, dignoscere: dummodò animadvertat, inalgescant, necne, membrorum extremitates; qualis sit arteriarum pulsus; demittatur, necne, animus; qualis sit faciei color; qualis vultus; et præsertìm, an dolor altus et acutus subindè penetret ab osse pectoris ad spinam, atque spasmi accedant.

XLV. Devorandi difficultas tantùm urget, iis temporibus, ubì remittunt spasmi, atque potu sitim explere æger aggreditur. Eò cùm perventum sit, tetanus, pro hydrophobia, vix haberi potest, saltem si æger rabido animali morsus fuerit.

Cap. IV.

De Causa Proxima.

XLVI. Morbum, quem tractamus, haud rarò oriri ex frigore atque humore, quibus commissum sit corpus, supra modum calefactum, aut sudore perfusum, inter omnes medicos convenit. Nemo tamen, quantùm scimus, conatus est exponere, quemadmodùm detrimentum, à frigore et humore acceptum, tantam vim morbi moveat. Rem igitur intentatam tantæ magnitudinis, pro facultate, explicare aggrediemur.

XLVII. Ex quo tempore vixit Sanctorius, consentiunt medici, exhalatione cutis, quæ ex arteriis, venis, nervis, vasis absorbentibus et exhalantibus, mirum in modum, intextis ac

implicatis

implicatis constat, plus quotidie materiæ ex corpore dissipari, quàm quod secernant glandulæ, et excernant viæ naturales.

XLVIII. Convenit quoque inter omnes, frigus et humorem, modò iis exponantur mortales, præsertìm calidi et sudore perfusi, cùm summam cutem astringere, tum ejus meatibus sic officere; ut non solùm sudor, si quis, subitò supprimatur, verùm etiam salutaris exhalatio, quâ superflua, et haud dubiè nociva, materia ex corpore in auras effugiat.

XLIX. Halitu cutis suppresso, materia nociva, quæ per eum dissipari solet, in sanguine retinetur, et eundem plùs minùs vitiat. "Omnis verò humor jam secretus, vel naturâ, vel morbo, plùs minùs resorberi potest, et in sanguinem redire, eundemque nonnihil corrumpere, et tùm forsan per organa non sua rursùs secerni, vel saltem transire *."

L. Quàm

* Vid. Gregor. *Conspect. Medicin. Theoret.* § 698.

L. Quàm nociva sit materia, modò retineatur, quam dissipare solent cutis spiramenta, adhuc magis patebit ex iis, quæ dicturi sumus. In INDIA ORIENTALI, ut in BENGALIA aliisque partibus haud ignorant mortales, paucis pòst horis, quàm ventus à siccis regionibus flare inceperit, cutis viæ astringuntur, superioresque siccescunt manuum partes. Qui hujusmodi ventis sese committunt, ii anginâ malignâ, aliisve morbis putridis, intercipiuntur.

LI. Pulmonum halitus, utì nunc compertum est, constat ex *hydrogenio carbonato*: et vix dubium est, quin is quoque halitus, quem cutis meatus emittere solent, ex iisdem naturis componatur; quæ fortassè quasdem insuper ammoniacas, aliasve nocivas nondùm benè cognitas, secum commixtas, continent.

LII. His cognitis, adhuc magis adducimur, ut credamus, materiam, quæ per cutis spiramina effugere soleat, naturâ nocivâ esse, et,

modò his astrictis retineatur, gravibus morbis occasionem præbere.

LIII. His concessis, mihi haud dubium videtur, retentam materiam, quam dissipare soleant cutis spiramenta, aliis forsan nocivis onustam, et extremarum arteriarum nervos, suâ naturâ valdè irritabiles, stimulantem, *PROXIMAM* omnium malorum *CAUSAM* esse, quibus mortales tetanus afficiat.

LIV. Sed quæratur, quomodò nervi, amputatis membris alioquive læsi, cutis halitum supprimere possint. Nervis quâcunque causâ læsis ingens dolor movetur, qui non potest, quin somnum impediat. Verùm, " quæ," inquit SANCTORIUS, " impediunt somnum, " impediunt quoque perspirationem cocti per- " spirabilis." Quinetiam, " punctura nervi," ut idem effatur auctor, " si lacte, farinâ, vel " simili claudatur, ichor retentus ita acris fit,

" ut

"ut moriantur convulsi, nisi oleo aperiatur "vulnus."

LV. His consideratis, ad quæ sanè confirmanda, alios, si opus esset, auctores possemus citare, licet concludere, cutem et extremas ejus arterias, propter consensum, qui, per nervos, iis intercedit cum partibus vulneratis, haud minùs læsis nervis affici, quàm frigore et humore.

LVI. Suppressa materia, quam corpori nocivam esse ostendimus, est, ut nobis videtur, non solùm morbi, de quo scribimus, proxima causa, sed etiam *acuti rheumatismi*, podagræ, et *diabetæ*. Quippe hi tres morbi, id sanè quod verisimillimam hanc opinionem reddit, in EUROPA, cæterisque cœlis humidis, mortales sæpè cruciant et attenuant; dum, in calidis orbis terrarum regionibus, vix, vel saltem rarissimè, cognoscuntur. Quinetiam, ut plerique medicorum comperti sunt, *rheumatismus*

optimè

optimè curatur sudorem ubique corporis copiosum, tenuem, et calidum eliciendo, neque, enimvero, aliter persanari potest.

LVII. Putamus, *diabete* quoque affectis utile fore sudorem movere; quippe quorum morbus à suppressa cutis exhalatione haud dubiè oriatur.

LVIII. Neque, enimvero, dubitamus, quin à sudore elicito podagrosi maximum itidem commodum acciperent. Namque verisimillimum est, suppressum cutis halitum esse proximam morbi causam, quo eorum articuli discrucientur. Quippe podagricorum, eorumque qui vina acida cerevisiamque potant, simulque sunt forsan aliis vitæ partibus intemperati, summa cutis, ut nemo ignorat, semper est calida et perarida. Enimvero haud scimus, annon etiam in prole reviviscat hujusmodi corporis habitus, et podagram propaget.

LIX. Materia, quæ, per cutis foramina, ex

corpore

corpore dissipari solet, retenta identidem in articulis deponitur; durescitque in calculosam naturam, quæ seriùs modò, modò ociùs, podagricorum articulos immobiles reddit. Hæc enim natura, utì nunc periculo compertum est, ex *urate sodæ* constat, in quem vero haud absimile est illam materiam transmutatam esse, justo diutiùs in corpore manendo.

LX. Concessis iis, quæ diximus, nobis videtur æquum concludere, sedem podagræ et *rheumatismi* esse in patulis extremarum arteriarum surculis; qui, quippe obstructi, atque sanguine præter modum distenti, solito acriùs sentiunt, ideoque dolore excruciantur.

LXI. Nequaquàm igitur mihi convenit cum claro medico LONDINIENSI, qui contendit, podagram et *rheumatismum* iis vasis inhærere, quæ *LYMPHATICA* nuncupent medici *. Nam, his

* Vid. LATHAM. *Letter to Sir* GEORGE BAKER *on Gout and Rheumatism.*

his vasis obstructis, præsertìm eorum extremitatibus, superveniunt tumores, albescentes, nitescentes, qui prementibus digitis cedunt; qualesque in partibus, quas discruciant podagra et *rheumatismus*, nunquàm, quantùm scimus, oriuntur.

LXII. Hæc, de proxima tetani causa, diximus, partim rei magnitudine inducti; et partim, ut alii, quibus sint majus otium et majores facultates, ad eam indagandam animum advertant.

Cap. V.

De Prognosi.

LXIII. Cognitis iis, quæ de tetano scriptis tradiderunt auctores, itemque iis, quæ narravimus, æquum videtur concludere, semper periculosum morbum esse, imò plerumquè lethalem; præcipuè cùm oriatur nervis amputatione membrorum, alioquinve læsis, ubì, enimvero, rarissimè sanatur.

LXIV. Quanquam autem tetanus gravissimus sanè morbus est, et maximo semper metu terret; tamen, si peritus medicus opportunè arcessatur, et promptè diligenterque curandi viam sequatur quam exponemus, sæpiùs, ut speramus, eveniet, ut ægri revalescant.

LXV. Ita

LXV. Ita fore, nos edocuit experientia. Nam ducenti ferè tetanici nobis curæ fuerunt, et possumus verissimè asserere, ex his duos tantùm morbo succubuisse. Horum unus, qui ex duro labore et frigore morbum nactus est, præ errore morbi, in quem incidimus, perivit. Alter, post contusum pedis pollicem, morbo affectus est ; neque ejus uxor certiores nos fecit de invaletudine, donec morti eum eripiendi tempus præterivisset.

CAP. VI.

Cap. VI.

De Curatione.

LXVI. Cognitis iis, quæ suprà diximus, de causis tetani remotis et proxima, restat, ut exponamus, quibus medicamentis et remediis optimè curetur.

LXVII. Medicorum est, primùm ut advocati advenerunt, dare operam, ut quamprimum sanguis in superficiem corporis æqualiter distribuatur. Hunc in finem, opus est, ut summam cutem emolliant, laxent, ejusque foramina aperiant.

LXVIII. Hoc consilio, æger in balneum quamprimum demittendus est, cujus tempe-

ries ea debet esse, quantam corpus sine incommodo pati possit, et in eo, quartam horæ partem, rarissimè diutiùs, manere. Intereà debet laneis acriter perfricari ab uno duobusve hominibus. Ei simul porrigendum est vinum Maderiense caryophyllis et macide imbutum, ut cochleatìm assumat, donec, extremis membrorum partibus incalescentibus, morbida stomachi irritabilitas conquieverit. Deindè balneo submovendus est, et, calidis laneis involutus, et in lectum impositus, refricandus; neque intereà debet vini usum intermittere, sed frequentiùs atque copiosiùs bibere, dum, ubique cutis, sudor oriatur.

LXIX. Ubì huc perventum est, æger, intermittentibus malis, interquiescit. Dein, ut primùm pati potest stomachus, debet, proùt unum gula appetat aliudve, assumere aquam decoctam ex pullis gallinaceis, aut jusculum ex carne bubula vitulinave, aut jusculum ex iisdem pedibusve vitulinis coactum, aut *cycatem*

tem circinalem * et vinum, quibus immixta aromata fuerint.

LXX. Tùm, simul ut, his factis et assumptis, sanguis in superficiem corporis satìs diffusus est, oportet ægrum viginti quinque trigintave *tincturæ opii* guttas, in cyatho vini aromatibus mixtis imbuti, assumere. Nunquàm, vel saltem rarissimè, opus erit, ut sæpiùs assumat.

LXXI. Quum, in hoc morbo, nulla mora interponenda sit, dummodò balneum non possit expeditè parari, levidensibus laneis ex aqua calida expressis, quibus aspersum sit *alcohol camphoratum*, corpus vehementissimè fricandum est; dein eadem per omnia curatio, quam modò explicavimus, sine mora, adhibenda.

LXXII. Ubì morbus nervis, ex parte laceratis, aut punctis, oritur, oportet, ut conquiescat

* Anglicè SAGO.

cat irritatio, sine mora, læsum nervum ex transverso persecare ; dein plagæ calidis fotæ, quorum quartam saltem partem constituat *alcohol camphoratum*, calidum oleum terebinthinum infundere ; tùm superinducere calida cataplasmata. Hæc identidem repetenda sunt, proùt opus videatur, donec vulnerata pars optatò suppuraverit. Quoties membrorum amputatio morbum excitavit, ligamentum quamprimum resolvendum est ; et quoties contusio, plures altæ plagæ scalpello in longitudinem faciendæ : dein ægræ partes iisdem, quæ modò diximus, remediis fovendæ et curandæ.

LXXIII. Dum hæc fiunt, quò consopiatur irritatio, oportet balneo, et frictionibus, et vino MADERIENSI aromatibus jam dictis mixto, consequi, ut in cutem et membrorum extremitates salutariter diffundatur sanguis ; et ut jusculis nutrientibus et levibus, qualia suprà memoravimus, eâ copiâ quam ferre et concoquere possit stomachus, vires reficiantur.

LXXIV. Quòd

LXXIV. Quòd si deest vinum MADERIENSE quod paret æger, aut deest quo id emat; et vinum rubrum LUSITANUM, quod secundas tenet, in stomacho, ut haud rarò, acescit; *alcohol* GALLICUM aquâ fervidâ et aromatibus temperatum, eorum vice, assumendum est.

LXXV. Mirum sanè est, quantum vini, vel *alcoholis* diluti, præcipuè postquàm aliquandiù increverit morbus, ægri assumant, priusquàm ex arteriarum pulsu scire possint medici, cerebrum, et vasa quæ sanguinem distribuant, assumpto affici.

LXXVI. Opium, ut experientiâ didicimus, ubì priùs adhibetur, quàm vinum calidum, aromatibus mixtum, assumptum est, et factæ sunt cæteræ partes curationis, quam suprà memoravimus, nihil præterquàm, stomachum adeò infirmando, ut haud multò pòst concoquendi impotens fiat, mortis gradum accelerat.

LXXVII. Ad-

LXXVII. Adductus sum, ut ità crederem; conspicatus opium, tam liquidum quàm concretum, magnâ copiâ aliquot post horas revomi, quàm devoratum esset, et mortem semper magnam ejus vim in stomacho retentam consequi Eadem mala ex vomitoriis et catharticis, quæ tetano laborantibus præscribunt nonnulli medicorum, haud semel vidi.

LXXVIII. Quanquam perfusio corporis ex aqua frigida, à nonnullis medicorum multùm laudatur, tamen ne unum quidem tetano cruciatum vidimus, qui hinc opem impunè petivisset. Verùm haud negamus tamen, quin sint tetanici, quibus, modò juvenes et robusti sint, qui ad frigori resistendum valeant, neque etiamnum multùm increverit morbus, perfusio proficiat. At verò vel hujusmodi ægri, simul ut satìs perfusi frigidâ aquâ sint, debent, sine mora, vinum cæteraque suprà dicta assumere; simulque uti cæteris expositæ curationis partibus, quatenus idoneæ videantur.

LXXIX. Qui-

LXXIX. Quibus autem tetanicis, seu naturâ infirmis seu morbo debilitatis, arteriarum pulsus exigui, tardi, et imbecilles sunt, inalgescuntque membrorum extremitates, eos, quippe cùm nequeant, quò minùs frigore torpeant, resistere, frigidâ aquâ perluere periculosissimum est, et vix non statim lethale. Quum ita sit, consulto et deliberato antè opus est, quàm audet medicus aquâ frigidâ tetanicum perfundere.

LXXX. Hoc tantùm præthereà habemus, quod adjiciamus, quamcunque curationem cæteris anteferendam judicet medicus, eam quàm maturrimè expeditissimèque exsequi debet. Si enim cunctetur animi dubius, quid faciat, eundo increscet neglectus morbus, neque ullâ posteà medicinâ curari poterit.

LXXXI. Ubì præsentaneâ curatione, qualem suprà exposuimus, corpore æqualiter toto oritur sudor copiosus, tenuis, et tepidus: nihil prætereà opus est, nisi ut vino aquâ temperato,

to, aliisque diluentibus potionibus, sudor aliquot horas eliciatur; dein æger assumat esculenta quædam nutrientia et concoctu facilia, simulque interdum medicamenta quædam, *cardiaca* dicta, ex iis quæ calefaciunt et stimulant; tùmque, ut paululùm revaluit, laneo vestitu corpus tutetur, ne à frigore detrimentum accipiat. Tali curatione possum, salvâ veritate, asseverare, me ducentos propè tetanicos ad sanitatem perduxisse; quorum unius historiam hìc subjiciam, quippe cùm, quantùm hæc valeat curatio, optimè ostendat.

LXXXII. Vir militaris, ex calido cœlo redux, ad occidentalem ANGLIÆ partem profectus est, ut suos viseret. Apud quos, dum se recreabat, *rheumatismo* et febriculâ correptus est. Hinc LONDINIUM redivit, revalescens quidem, sed nondùm confirmatus. Dum hìc morabatur, accidit, ut postero mane, quàm plateas frequentes perambulâsset, quò lumina fenestrarum admiraretur, quibus gaudium et lætitiam restitutæ nupèr pacis populus agitabat, ubique

ubique corporis doloribus cruciaretur, qui paulatim abiêrunt in rigiditatem musculorum pectoris, occipitis, cervicis et faucium.

LXXXIII. Auditâ ejus invaletudine, vetere amicitiâ permotus, properavi, ut viserem. Sed, hei mihi! qualis erat, quantùmque mutatus ab illo, quem nuper cognoveram. Facies se obliquabat ad dextrum humerum. Rigebant musculi cervicis, duritiâ tabulæ propè æquales. Maxillarum inferior superiorem adeò apprimebat, ut compressorum dentium ordines cochlearis marginem vix intromitterent. Arteriarum pulsus, sexagesimâ horæ parte, haud amplius quadraginta aut quinquaginta erant, simulque exigui. Tanta, per duas hebdomadas continuas, fuerat dolorum vis, ut dies noctesque ferè insomnes egisset æger, gratâ nunquàm quiete recreatus. Nihil devorare poterat, præter sorbitionem, quam, quippe injucundam, parùm appetebat.

LXXXIV. Hoc tempore, tres eum medicinæ

periti quotidie visebant; quorum autem duo tantùm præcipiebant, quâ ratione curandus esset. Alter eum, perindè ac *rheumatismo* affectum, curabat: alter hoc tantùm agebat, ut excogitaret, quibus ministris caput et collum in pristinum rectum reduceret.

LXXXV. Quum amicus in summo discrimine versaretur, et, nisi aliis ei auxiliis subventum esset, brevi periîsset, spretâ medicorum invidiâ, et omnibus amici saluti posthabitis, sine mora curavi, ut libram propè vini aromatibus mixti biberet; et statim ferè pòst jusculum ex carne bubula, jusculum coactum ex eadem vitulinisve pedibus, *cycatem circinalem* cum vino, vicissim assumeret eâ copiâ, quam ferre et concoquere posset stomachus. Cervicem, ut suprà, fovendam curavi, dein perfricandam *linimento volatili camphorato*. Vespere, meo jussu, haustum anodynum, cui inerant triginta *tincturæ opii* guttæ, devoravit, qui, per quatuor horas continuas, placidum ei somnum conciliavit.

LXXXVI. In

LXXXVI. In hac curatione decem dies perseverando, usquè eò revaluit, ut posset in rus gestari. Diù autem posteà rigidi manserunt musculi ; et, pro vino rubro, quod in stomacho acescebat, *alcohol* GALLICUM aquâ dilutum substituit.

LXXXVII. Quum mentionem fecerimus tetani varietatis, quam, quippe recentèr natis propriam, *TRISMUM INFANTUM* medici nominant ; hìc loci haud alienum erit, paucis dicere, quâ ratione, et quibus medicamentis remediisque curari debeat.

LXXXVIII. Hunc morbum nunquàm vidimus ; nisi per eum medici intelligant convulsiones, quibus, per quindecim vigintive post partum dies, opportuni infantes sunt. Hujusmodi, enimvero, convulsiones compluriès conspicati sumus.

LXXXIX. *Trismus nascentium*, ubì putatur ex retento *meconio* oriri, plerumquè potest alvum

leniter

leniter purgando curari. Hoc consilio, manna, oleum *ricini*, vel *magnesia* assumenda est eâ copiâ, quæ infantis viribus conveniat.

XC. Si, ut interdum, hæc medicamenta non satìs valeant, unum alterumve *submuriatis hydrargyri* granum, cum pauxillo jusculi coacti ex *ribibus*, debet adhiberi. Hoc medicamentum haud rarò, ut nosmetipsi vidimus, infantum convulsiones percurat.

XCI. Ubì autem morbus à lacte parco insalubrive nascitur, aut alimento pravo, aut immunditia, aut calore corporis non maternâ curâ foto; efficacissima remedia erunt copia lactis boni, quo profectò solo, per primum mensem, ali debet infans; munditia; tenera piæ matris cura; et vestitus, qualis salutarem infantilis corporis calorem foveat.

FINIS.